




**SEMINARIUM habendum
in pago c.n. Caravate
in agro Baretino**

diebus 9-12 mensis Octobris, a. 2025

Pars prior: ars, id est τέχνη

1. De agri cultura ac re pecuaria

- 1.1. Catone, *De agri cultura*: la coltivazione dell'asparago
- 1.2. Catone, *De agri cultura*: i prosciutti
- 1.3. Varrone, *Rerum rusticarum libri*: scegliere e ammaestrare i buoi
- 1.4. Virgilio, *Georgiche* II 47-83: tutte le piante richiedono fatica

2. De rebus aedificandis

- 2.1. Vitruvio, *De architectura*: criteri per costruire le abitazioni
- 2.2. Seneca, *Naturales quaestiones*: gli specchi
- 2.3. Frontino, *De aquae ductu urbis Romae*: l'Acqua Marcia
- 2.4. Flavio Vegezio Fortunato, *Epitoma rei militaris*: strumenti e macchine da guerra
- 2.5. Cesare, *De bello Gallico*: un ponte di legno sul fiume Reno
- 2.6. Plinio il Vecchio, *Naturalis historia*: il primo orologio

3. De medicina

- 3.1. Celso, *De medicina*: l'estrazione dei proiettili
- 3.2. Flavio Vegezio Renato, *Digesta artis mulomedicinae*: la medicina veterinaria

4. De rebus novis

- 4.1. Galileo Galilei, *Sidereus nuncius*: il cannocchiale
- 4.2. Luigi Galvani, *De viribus electricitatis artificialis in motu musculari*: l'esperimento della rana

5. De mirabilibus cognoscendis

- 5.1. Cicerone, *De officiis*: leggi di natura e leggi umane
- 5.2. Cicerone, *De natura deorum*: il calore come principio universale
- 5.3. Plinio il Vecchio: la corsa all'oro
- 5.4. Plinio il Vecchio: le eclissi
- 5.5. Plinio il Vecchio: i terremoti

Pars altera: ingenium, id est φύσις

6. De ingenii natura

- 6.1. Nevio, *tragicorum fragmenta* 20-22: *ingenium* è *natura*
- 6.2. Ennio, fr. 268-286 Sk.: *ingenium* come somma di doti del *mos maiorum*
- 6.3. Orazio, *ars* 289 ss.: Roma e i filosofi contro la poesia: l'*ingenium* romano è altro
- 6.4. Virgilio, *Aen.* VI 847-853: le vere *artes* dei Romani
- 6.5. Orazio, *ars* 408 ss.: *ars* vs *ingenium*
- 6.6. Cicerone, *Tusculanae disputationes* V,3,7: i filosofi non possiedono nessuna arte
- 6.7. Manil. *Astr.* II 448-452: invito allo studio delle costellazioni e degli oroscopi
- 6.8. Quintiliano, *instit.* I *praef.*: talento naturale e studio continuo
- 6.9. Quintiliano, *instit.* II 19: *natura an doctrina?*
- 6.10. Tacito, *dialogus* 21: il giudizio dell'oratore contemporaneo
- 6.11. Tacito, *Annales* III 30: le *artes* per vivere a corte
- 6.12. Plinio il Giovane IX 26,1-7: non bisogna tenere a freno l'*ingenium*
- 6.13. Censorino, *de die natali*: superare con *vita* e *mores* ciò che si insegna tramite *ars*
- 6.14. Fedro I 13: un esempio di ingegno
- 6.15. Apuleio, *Florida* XVIII (sel.): un secondo esempio di ingegno
- 6.16. Solino, *Collectanea rerum memorabilium*: in un'opera compilativa vi è *ingenium*?
- 6.17. Lettera di Teodosio ad Ausonio: ammirazione per l'*ingenium* dello scrittore
- 6.18. Girolamo, *epist.* 58: giudizio di Girolamo sulle abilità di Paolino

7. De elegiacis

- 7.1. Propertio II 24c: l'*ingenium* sta fra le armi del poeta
- 7.2. Ovidio, *Amores* I 15: rimettere Callimaco al suo posto
- 7.3. Ovidio, *ars* III: la poesia come mezzo di seduzione
- 7.4. Ovidio, *Tristia* II 419 ss.: un altro canone
- 7.5. Ovidio, *Tristia* V 1: addio alle armi
- 7.6. Ovidio, *Ex Ponto* III 5: l'*ingenium* e la rovina

8. De Musis et ingeniis

- 8.1. Giovenco, *Evangeliorum libri quattuor* 1,1-27: lo Spirito ispira e supera le *artes*
- 8.2. Claudiano, *carm. min.* 3: *ingenium* e ispirazione 1
- 8.3. Paolino di Nola, *carm.* 6: *ingenium* e ispirazione 2

PARS PRIMA

1.1 Catone, *De agri cultura*: la coltivazione dell'asparago

161. Asparagus quo modo seratur. Locum subigere oportet bene qui habeat humorem aut loco crasso; ubi erit subactus, areas facito, uti possis dextra sinistraque sarire, runcare, ne calcetur; cum areas deformabis, intervallum facito inter areas semipedem latum in omnes partes; deinde serito ad lineam palo, grana bina aut terna demittito et eodem palo cavum terrae operito; deinde supra areas stercus spargito bene; serito secundum aequinoctium vernalis. Ubi erit natum, herbas crebro purgato cavetoque ne asparagus una cum herba vellatur; quo anno severis, sum stramentis per hiemem operito, ne praeuratur; deinde primo vere aperito, sarito runcatoque. Post annum tertium quam severis, incendito vere primo; deinde ne ante sarueris quam asparagus natus erit, ne in sariendo radices laedas. Tertio aut quarto anno asparagum vellito ab radice. Nam si defringes, stirpes fient et intermorientur. Usque licebit vellas, donecum in semen videbis ire. Semen maturum fit ad autumnum. Ita, cum sumpseris semen, incendito, et cum coeperit asparagus nasci, sarito et stercoreato. Post annos VIII aut novem, cum iam est vetus, digerito et in quo loco posturus eris terram bene subigito et stercoreato. Deinde fossulas facito, quo radices asparagi demittas. Intervallum sit ne minus pedes singulos inter radices asparagi. Evellito, sed circumfodito, ut facile vellere possis; caveto ne frangatur. Stercus ovillum quam plurimum fac ingeras; id est optimum ad eam rem; aliud stercus herbas creat.

1.2. Catone, *De agri cultura*: i prosciutti

162. Salsura pernarum ofellae Puteolanae. Pernas sallire sic oportet in dolio aut in seria. Cum pernas emeris, ungulas earum praecidito. Salis Romaniensis moliti in singulas semodios. In fundo dolii aut seriae sale sternito, deinde pernam ponito, cutis deorsum spectet, sale obruito totam. Deinde alteram insuper ponito, eodem modo obruito. Caveto ne caro carnem tangat. Ita omnes obruito. Ubi iam omnes composueris, sale insuper obrue, ne caro appareat; aequale facito. Ubi iam dies quinque in sale fuerint, eximito omnis cum suo sale. Quae tum summae fuerint, imas facito eodemque modo obruito et conponito. Post dies omnino XII pernas eximito et salem omnem detergeto et suspendito in vento biduum. Die tertio extergeto spongea bene, perunguito oleo, suspendito in fumo biduum. Tertio die demito, perunguito oleo et aceto conmixto, suspendito in carnario. Nec tinia nec vermes tangent.

1.3. Varrone, *Rerum rusticarum libri*: scegliere e ammaestrare i buoi

1.20. Igitur de omnibus quadripedibus prima est probatio, qui idonei sint boues, qui arandi causa emuntur. Quos rudis neque minoris trimos neque maioris quadrimos parandum; ut uiribus magnis sint ac pares, ne in opere firmior imbecillior conficiat; amplis cornibus et nigris potius quam aliter ut sint, lata fronte, naribus simis, lato pectore, crassis coxendicibus. Hos ueteranos ex campestribus locis non emendum in dura ac montana, nec non contra si incidit, ut sit uitandum. Nouellos cum quis emerit iuuenos? si eorum colla in furcas destituas incluserit ac dederit cibum, diebus paucis erunt mansueti et ad domandum proni. Tum ita subigendum, ut minutatim assuefaciant et ut tironem cum ueterano adiungant (imitando enim facilius domatur), et primum in aequo loco et sine aratro, tum eo leui, principio per harenam aut molliorem terram. Quos ad uecturas, item instituendum ut inania primum ducant plaustra et, si possis, per uicum aut oppidum; creber crepitus ac uarietas rerum consuetudine celeberrima ad utilitatem adducit. Neque pertinaciter, quem feceris dextrum, in eo manendum, quod,

si alternis fit sinister, fit laboranti in alterutra parte requies. Vbi terra leuis, ut in Campania, ibi non bubus grauibus, sed uaccis aut asinis quod arant, eo facilius ad aratrum leue adduci possunt, ad molas et ad ea, siquae sunt, quae in fundo conuehuntur. In qua re alii asellis, alii uaccis ac mulis utuntur, exinde ut pabuli facultas est; nam facilius asellus quam uacca alitur, sed fructuosior haec. In eo agricolae hoc spectandum, quo fastigio sit fundus. In confragoso enim haec ac difficili ualentiora parandum et potius ea quae per se fructum reddere possint, cum idem operis faciant.

1.4. Virgilio, *Georgiche* II 47-83: tutte le piante richiedono fatica

*Sponte sua quae se tollunt in luminis oras,
infecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt;
quippe solo natura subest. tamen haec quoque, si quis
inserat aut scrobibus mandet mutata subactis, 50
exuerint siluestrem animum, cultuque frequenti
in quascumque uoles artis haud tarda sequuntur.
nec non et, sterilis quae stirpibus exit ab imis,
hoc faciat, uacuos si sit digesta per agros;
nunc altae frondes et rami matris opacant 55
crescentique adimunt fetus uruntque ferentem.
iam quae seminibus iactis se sustulit arbos,
tarda uenit seris factura nepotibus umbram,
pomaque degenerant sucos oblita priores
et turpis auibus praedam fert uua racemos, 60
scilicet omnibus est labor impendendus, et omnes
cogendae in sulcum ac multa mercede domandae.
[...]
Nec modus inserere atque oculos imponere simplex.
nam qua se medio trudunt de cortice gemmae
et tenuis rumpunt tunicas, angustus in ipso 75
fit nodo sinus; huc aliena ex arbore germen
includunt udoque docent inolescere libro.
aut rursum enodes trunci resecantur, et alte
finditur in solidum cuneis uia, deinde feraces
plantae immittuntur: nec longum tempus, et ingens 80
exiit ad caelum ramis felicibus arbos,
miratastque nouas frondes et non sua poma.*

2.1. Vitruvio, *De architectura*: criteri per costruire le abitazioni

Animaduertendum est, quibus rationibus priuatis aedificis propria loca patribus familiarum et quemadmodum communia cum extraneis aedificari debeant. Namque ex his quae propria sunt, in ea non est potestas omnibus introeundi nisi inuitatis, quemadmodum sunt cubicula, triclinia, balnea ceteraque, quae easdem habent usus rationes. Communia autem sunt, quibus etiam inuocati suo iure de populo possunt uenire, id est uestibula, caua aedium, peristylia, quaeque eundem habere possunt usum. Igitur is, qui communi sunt++ foruma, non necessaria magnifica uestibula nec tabulina neque atria, quod aliis officia praestant ambiundo neque ab aliis ambiuntur. Qui autem fructibus rusticis seruiunt, in eorum uestibulis stabula, tabernae, in aedibus cryptae, horrea, apothecae ceteraque, quae ad fructus seruandos magis quam ad elegantiae decorem possunt esse, ita sunt facienda. Item feneratoribus et publicanis commodiora et speciosiora et ab insidiis tuta, forensibus autem et disertis elegantiora et spatiosiora ad conuentus excipiundos, nobilibus uero, qui honores magistratusque gerendo praestare debent officia ciuibus, faciunda sunt uestibula regalia alta, atria et peristylia amplissima, siluae ambulationesque laxiores ad decorem maiestatis perfectae; praeterea bibliothecas, pinacothecas, basilicas non dissimili modo quam publicorum operum magnificentia comparatas, quod in domibus eorum saepius et publica consilia et priuata iudicia arbitriaque conficiuntur. Ergo si his rationibus ad singulorum generum personas, uti in libro primo de decore est scriptum, ita disposita erunt aedificia, non erit quod reprehendatur; habebunt enim ad omnes res commodas et emendatas explicationes.

2.2. Seneca, *Naturales quaestiones*: gli specchi

De speculis duae opiniones sunt. Alii enim in illis simulacra cerni putant, id est corporum nostrorum figuras a nostris corporibus emissas ac separatas; alii non imagines in speculo sed ipsa aspici corpora retorta oculorum acie et in se rursus reflexa. Nunc nihil ad rem pertinet quomodo uideamus quodcumque uidemus; 2 sed, quae modo (est) imago, similis reddi debet e speculo. Quid autem est tam dissimile quam sol et arcus, in quo neque figura solis neque color neque magnitudo apparet? Arcus longe amplior est longeque ea parte qua fulget rubicundior quam sol, ceteris uero coloribus diuersus. 3 Deinde, cum uelis speculum inesse aeri, des oportet mihi eandem leuitatem corporis, eandem aequalitatem, eundem nitorem. Atqui nullae nubes habent similitudinem speculi; per medias saepe transimus nec in illis nos cernimus; qui montium summa conscendunt, despectant nubem nec tamen imaginem in illa suam aspiciunt. - 4 Singula stillicidia singula specula sunt. - Concedo, sed illud nego ex stillicidiis constare nubem. Habent enim quaedam ex quibus fieri stillicidia possint, non ipsa. Ne aquam quidem habent nubem sed materiam futurae aquae. 5 Concedamus tibi et guttas innumerabiles nubibus inesse et illas faciem reddere, non tamen unam omnes reddunt, sed singulae singulas. Deinde inter se specula coniunge, in unam imaginem non coibunt, sed unumquodque in se similitudinem uisae rei claudet. Sunt quaedam specula ex multis minutisque composita, quibus si unum ostenderis hominem, populus apparet, unaquaque particula faciem suam exprimente. Haec, cum sint coniuncta et simul collocata, nihilominus seducunt imagines suas et ex uno quidem turbam efficiunt, ceterum cateruam illam non confundunt, sed diremptam in facies singulas distrahunt.

2.3. Frontino, *De aquae ductu urbis Romae*: l'Acqua Marcia

Quoniam incrementum urbis exigere uidebatur amplio rem modum aquae, eidem mandatum a senatu est ut curaret quatinus alias aquas quas posset in urbem perduceret. Qui priores ductus restituit et tertiam illis uberio rem aquam duxit, cui ab auctore Marciae nomen est. Legimus apud Fenestellam in haec opera Marcio decretum sestertium milies octingenties et, quoniam ad consummandum negotium non sufficebat spatium praeturae, in annum alterum est prorogatum. Eo tempore decemuiri, dum aliis ex causis libros Sibyllinos inspiciunt, inuenisse dicuntur non esse fas aquam Marciam - seu potius Anionem (de hoc enim constantius traditur) - in Capitolium perduc i; deque ea re in senatu M. Lepido pro collega uerba faciente actum Appio Claudio Q. Caecilio consulibus, eandemque post annum tertium a L. Lentulo retractatam C. Laelio Q. Seruilio consulibus, sed utroque tempore uicisse gratiam Marcii Regis; atque ita in Capitolium esse aquam perductam. Concipitur Marcia Via Valeria ad miliarium tricesimum sextum, deuerticulo euntibus ab urbe Roma dextrorsus milium passuum trium, Sublacensi autem, quae sub Nerone principe primum strata est, ad miliarium tricesimum octauum, sinistrorsus intra spatium passuum ducentorum. Fontium aqua sub rupibus pene statim stat immobilis stagni modo, colore peruiridi. Ductus eius habet longitudinem a capite ad urbem passuum sexaginta milium et mille septingentorum decem et semis: riuo subterraneo passuum quinquaginta quattuor milium ducentorum quadraginta septem semis, opere supra terram passuum septem milium quadringentorum sexaginta trium: ex eo longius ab urbe pluribus locis per uallis opere arcuato passuum quadringentorum sexaginta trium, propius urbem, a septimo miliario, substructione passuum quingentorum uiginti octo, reliquo opere arcuato passuum sex milium quadringentorum septuaginta duum.

2.4. Flavio Vegezio Fortunato, *Epitoma rei militaris*: strumenti e macchine da guerra

Legio (autem) non tantum militum numero sed etiam genere ferramentorum uincere consueuit. Primum omnium instruitur iaculis, quae nullae loricae, nulla possunt scuta sufferre. Nam per singulas centurias singulas carroballistas habere consueuit, quibus muli ad trahendum et singula contubernia ad armandum uel dirigendum, hoc est undecim homines, deputantur. Hae quanto maiores fuerint, tanto longius ac fortius tela iaculantur. Non solum autem castra defendunt, uerum etiam in campo post aciem grauis armaturae ponuntur; ante quarum impetum nec equites loricati nec pedites scutati possunt hostium stare. In una autem legione quinquaginta quinque carroballistae esse solent. Item decem onagri, hoc est singuli per singulas cohortes, in carpentis bubus portantur armati, ut, si forte hostes ad adpugnandum uenerint uallum, sagittis et saxis possint castra defendi. Scaffas quoque de singulis trabibus excauatas cum longissimis funibus et interdum etiam ferreis catenis secum legio portat, quatenus contextis isdem, sicut dicunt, monoxylis, superiectis etiam tabulatis, flumina sine pontibus, quae uadari nequeunt, tam a peditibus quam ab equitatu sine periculo transeantur. habet ferreos harpagonas, quos lupos uocant, et falces ferreas confixas longissimis contis, item ad fossarum opera facienda bidentes ligones palas rutra alueos cofinos, quibus terra portetur. Habet quoque dolabras secures ascias serras, quibus materies ac pali dedolantur atque serrantur. Habet praeterea artifices cum omnibus ferramentis, qui ad obpugnandas hostium ciuitates testudines musculos arietes uineas, ut appellant, turres etiam ambulatorias faciunt. Verum ne singula enumerando plura dicantur, uniuersa, quae in quocumque belli genere necessaria esse creduntur, secum legio debet ubique portare, ut, in quouis loco fixerit castra, armatam faciat ciuitatem.

2.5. Cesare, *De bello Gallico*: un ponte di legno sul fiume Reno

Caesar his de causis quas commemorauit Rhenum transire decreuerat; sed nauibus transire neque satis tutum esse arbitrabatur, neque suae neque populi Romani dignitatis esse statuebat. Itaque, etsi summa difficultas faciendi pontis proponebatur propter latitudinem, rapiditatem altitudinemque fluminis, tamen id sibi contendendum aut aliter non traducendum exercitum existimabat. Rationem pontis hanc instituit. Tigna bina sesquipedalia paulum ab imo praeacuta dimensa ad altitudinem fluminis interuallo pedum duorum inter se iungebat. Haec cum machinationibus inmissa in flumen defixerat fistucisque adegerat, non sublicae modo directe ad perpendicularum, sed prone ac fastigate, ut secundum naturam fluminis procumberent, his item contraria duo ad eundem modum iuncta interuallo pedum quadragenum ab inferiore parte contra uim atque impetum fluminis conuersa statuebat. Haec utraque insuper bipedalibus trabibus inmissis, quantum eorum tignorum iunctura distabat, binis utrimque fibulis ab extrema parte distinebantur; quibus disclusis atque in contrariam partem reuinctis tanta erant operis firmitudo atque ea rerum natura ut, quo maior uis aquae se incitauisset, hoc artius inligata tenerentur. Haec directa materia iniecta contexebantur ac longuriis cratibusque consternebantur; ac nihilo setius sublicae et ad inferiorem partem fluminis obliqua agebantur, quae pro ariete subiectae et cum omni opere coniunctae uim fluminis exciperent, et aliae item supra pontem mediocri spatio, ut, si arborum trunci siue naues deiciendi operis essent a barbaris missae, his defensoribus earum rerum uis minuerentur, neu ponti nocerent.

2.6. Plinio il Vecchio, *Naturalis historia*: il primo orologio

Tertius consensus [*i.e.* gentium] fuit in horarum obseruatione, iam hic ratione accedens; quando et a quo in Graecia reperta, diximus secundo uolumine. Serius etiam hic Romae contigit. XII tabulis ortus tantum et occasus nominantur, post aliquot annos adiectus est et meridies, accenso consulum id pronuntiante, cum a curia inter Rostra et Graecostasin prospexisset solem; a columna Maenia ad carcerem inclinato sidere supremam pronuntiauit, sed hoc serenis tantum diebus, usque ad primum Punicum bellum. [213] Princeps solarium horologium statuisset ante undecim annos quam cum Pyrrho bellatum est ad aedem Quirini L. Papirius Cursor, cum eam dedicaret a patre suo uotam, a Fabio Vestale proditur. Sed neque facti horologi rationem uel artificem significat nec unde translatus sit aut apud quem scriptum id inuenerit. [214] M. Varro primum statutum in publico secundum Rostra in columna tradit bello Punico primo a M'. Valerio Messala cos. Catina capta in Sicilia, deportatum inde post XXX annos quam de Papiriano horologio traditur, anno Urbis CCCCLXXXI. Nec congruebant ad horas eius lineae, paruerunt tamen ei annis undecim, donec Q. Marcius Philippus, qui cum L. Paulo fuit censor, diligentius ordinatum iuxta posuit idque munus inter censoria opera gratissima acceptum est. [215] Etiam tum tamen nubilo incertae fuere horae usque ad proximum lustrum. Tunc Scipio Nasica collega Laenati primus aqua diuisit horas aequae noctium ac dierum idque horologium sub tecto dicauit anno Urbis DXCV. Tam diu populo Romano indiscreta lux fuit!

3.1. Celso, *De medicina*: l'estrazione dei proiettili


Tela quoque, quae inlata corporibus intus haeserunt, magno negotio saepe eiciuntur. Suntque quaedam difficultates ex generibus eorum, quaedam ex iis sedibus, in quas illa penetrarunt. Omne autem telum extrahitur aut ab ea parte, qua venit, aut ab ea, in quam tetendit. Illic viam, qua redeat ipsum sibi fecit, hic a scalpello accipit: nam contra mucronem caro inciditur. Sed si non alte telum insedit et in summa carne est, aut certe magnas venas et loca nervosa non transiit, nihil melius quam qua venit id evellere. B Si vero plus est, per quod telo revertendum quam quod perrumpendum est, iamque venas nervosaeque id transiit, commodius est aperire quod superest, eaque extrahere: nam et propius petitur, et tutius evellitur; et in maiore membro, si medium mucro transiit, facilius sanescit quod pervium est, quia utrimque medicamento fovetur. C Sed si retro telum recipiendum, amplianda scalpello plaga est, quo facilius id sequatur, quoque minor oriatur inflammatio; quae maior fit, si ab illo ipso telo, dum redit, corpus laniatur. Item si ex alia parte vulnus aperiatur, laxius esse debet, quam ut telo postea transeunte ampliatur. Summa autem utraque parte habenda cura est, ne vena, ne maior nervus, ne arteria incidatur. Quorum ubi aliquid detectum est, excipiendum hamo retuso est, abducendumque a scalpello. Ubi autem satis incisum est, telum eximendum est, tum quoque eodem modo et eadem cura habita, ne sub eo, quod eximitur, aliquod eorum laedatur, quae tuenda esse proposui.

3.2. Flavio Vegezio Renato, *Digesta artis mulomedicinae*: la medicina veterinaria

[1] Mulomedicinae apud Graecos Latinosque auctores non fuit cura postrema. Sicut enim animalia post hominem, ita ars veterinaria post medicinam secunda est. In equis enim ac mulis et adiumenta belli et pacis ornamenta consistunt. [2] Sed quo minus dignitatis videbatur habere professio, quae pecudum promittebat medelam, ideo a minus splendidis exercitata minusque eloquentibus collata docetur in libros, licet proxima aetate et Pelagonio non defuerit et Columellae abundaverit dicendi facultas. [3] Verum alter eorum cum rusticae rei praecepta conscriberet, curas animalium levi admonitione perstrinxit, alter omissis signis causisque morborum, quasi ad doctissimos scriberet, tam magnae rei fundamenta neglexit. Chiron vero et Apsyrtus diligentius cuncta rimati eloquentiae inopia ac sermonis ipsius vilitate sordescunt. [4] Praeterea indigesta et confusa sunt omnia, ut partem aliquam curationis quaerenti necesse sit errare per titulos, cum de eisdem passionibus alia remedia in capite alia reperiantur in fine. [5] Additur etiam quod studio lucri quaedam ita sunt compositae potiones, ut pretium enorme contineant et curae taxatio aestimationem animalis prope videatur aequare, ut plerumque aut parci homines aut certe prudentes animalia sua casibus dedant aut damnosam curationem dissimulent. [6] His et talibus rationibus invitatus cum ab initio aetatis alendorum equorum studio flagrarem, hanc operam non invitatus arripui, ut conductis in unum Latinis dumtaxat auctoribus universis, adhibitis etiam mulomedicis et medicis non omissis (nam mulomedicinae doctrina ab arte medicinae non adeo in multis discrepat sed in plerisque consentit), in quantum mediocritas ingenii patitur, plene ac breviter omnia enucleata digerere causasque et signa morborum omnium declararem.

4.1. Galileo Galilei, *Sidereus nuncius*: il cannocchiale

Mensibus abhinc decem fere, rumor ad aures nostras increpuit, fuisse a quodam Belga Perspicillum elaboratum, cuius beneficio obiecta visibilia, licet ab oculo inspicientis longe dissita, veluti propinqua distincte cernebantur; ac huius profecto admirabilis effectus nonnullae experientiae circumferebantur, quibus fidem alii praebebant, negabant alii. Idem paucos post dies mihi per literas a nobili Gallo Iacobo Badovere ex Lutetia confirmatum est; quod tandem in causa fuit, ut ad rationes inquirendas, necnon media excogitanda, per quae ad consimilis Organi inventionem devenirem, me totum converterem; quam paulo post, doctrinae de refractionibus innixus, assequutus sum: ac tubum primo plumbeum mihi paravi, in cuius extremitatibus vitrea duo Perspicilla, ambo ex altera parte plana, ex altera vero unum sphaerice convexum, alterum vero cavum aptavi; oculum deinde ad cavum admovens obiecta satis magna et propinqua intuitus sum; triplo enim viciniora, nonuplo vero maiora apparebant, quam dum sola naturali acie spectarentur. Alium postmodum exactiorem mihi elaboravi, qui obiecta plusquam sexagesies maiora repraesentabat. Tandem, labori nullo nullisque sumptibus parcens, eo a me deventum est, ut Organum mihi construxerim adeo excellens, ut res per ipsum visae millies fere maiores appareant, ac plusquam in terdecupla ratione viciniores, quam si naturali tantum facultate spectentur. Huius Instrumenti quot quantaque sint commoda, tam in re terrestri quam in maritima, omnino supervacaneum foret enumerare. Sed, missis terrenis, ad Caelestium speculationes me contuli; ac Lunam prius tam ex propinquo sum intuitus, ac si vix per duas Telluris diametros abesset. Post hanc, Stellas tum fixas, tum vagas, incredibili animi iucunditate saepius observavi; cumque harum maximam frequentiam viderem, de ratione, qua illarum interstitia dimetiri possem, excogitare coëpi, ac demum reperi. Qua de re singulos praemonitos esse decet, qui ad huiusmodi observationes accedere volunt. Primo enim necessarium est, ut sibi Perspicillum parent exactissimum, quod obiecta perlucida, distincta et nulla caligine obducta repraesentet; eademque ad minus secundum quatercentuplam rationem multiplicet; tunc enim illa bisdecuplo viciniora commonstrabit: nisi enim tale fuerit Instrumentum, ea omnia quae a nobis conspecta sunt in caelis, quaeve infra enumerabuntur, intueri tentabitur frustra. Ut autem de multiplicatione instrumenti quilibet parvo negotio certior reddatur, circulos binos aut quadrata bina chartacea contornabit, quorum alterum quatercenties altero maius existat; id autem erit tunc, cum maioris diameter ad diametrum alterius longitudine fuerit vigecupla: deinde superficies ambas in eodem pariete infixas simul a longe spectabit, minorem quidem altero oculo ad Perspicillum admoto, maiorem vero altero oculo libero; commode enim id fieri licet uno eodemque tempore, oculis ambobus adapertis: tunc enim figurae ambae eiusdem apparebunt magnitudinis, si Organum secundum optatam proportionem obiecta multiplicaverit. Consimili parato Instrumento, de ratione distantiarum dimetiendarum inquirendum erit: quod tali artificio assequemur.



Sit enim, facilioris intelligentiae gratia, tubus ABCD. Oculus inspicientis esto E. Radii, dum nulla in tubo adessent Perspicilla, ad obiectum FG secundum lineas rectas ECF, EDG ferrentur; sed, apposis Perspicillis, ferantur secundum lineas refractas ECH, EDI: coarctantur enim, et qui prius liberi ad FG obiectum dirigebantur, partem tantummodo HI comprehendunt. Accepta deinde ratione distantiae EH ad lineam HI, per tabulam sinuum reperietur quantitas anguli in oculo ex obiecto HI constituti, quem

minuta quaedam tantum continere comperiemus. Quod si Specillo CD bracteas, alias maioribus, alias vero minoribus perforatas foraminibus, aptaverimus, modo hanc, modo illam, prout opus fuerit, superimponentes, angulos alios atque alios pluribus paucioribusque minutis subtendentes, pro libito constituemus; quorum ope Stellarum intercapedines, per aliquot minuta adinvicem dissitarum, citra unius aut alterius minuti peccatum, commode dimetiri poterimus. Haec tamen sic leviter tetigisse, et quasi primoribus libasse labiis, in praesentiarum sit satis; per aliam enim occasionem absolutam huius Organi theoriam in medium proferemus.

4.2. Luigi Galvani, *De viribus electricitatis artificialis in motu musculari*: l'esperimento della rana

Ranam dissecui atque praeparavi eamque in tabula, omnia mihi alia proponens, in qua erat machina electrica [169], collocavi ab eius conductore penitus disiunctam atque haud brevi intervallo dissitam; dum scalpelli cuspidem unus ex iis qui mihi operam dabant, cruralibus huius ranae internis nervis casu vel leviter admoveret, continuo omnes artuum musculi ita contraili visi sunt, ut in vehementiores incidisse tonicas [169] convulsiones viderentur [198]. Eorum vero [89 bis] alter, qui nobis electricitatem [169] tentantibus praesto erat, animadvertere sibi visus est rem contingere dum ex conductore machinae scintilla extorqueretur [198].

Rei novitatem ille admiratus, de eadem statini me alia omnino molientem ac mecum ipso cogitantem admonuit [198]. Hic ego incredibili sum studio et cupiditate incensus idem experiundi, et quod occultum esset in lucem proferendi. Admovi propterea et ipse scalpelli cuspidem uni vel alteri crurali nervo, quo tempore unus aliquis ex iis qui aderant scintillami eliceret. Phaenomenon [169] eadem omnino ratione contigit; vehementer nimirum [67] contractiones in singulos artuum musculos, perinde ac si tetano praeparatum animai esset correptum, eodem ipso temporis momento inducebatur, quo scintillae extorquerentur.

Ac metuens ne ii ipsi motus a cuspidis potius contactu, qui prò stimulo forte essent, quam a scintilla orerentur, eosdem nervos iterum eadem ratione in aliis ranis cuspidem tentavi, et quidem [76] gravius, quin ulla tamen scintilla tunc temporis ab aliquo eliceretur [198]; at nulli omnino [103] visi sunt motus. Hinc mecum ipse putavi forte ad phaenomenon inducendum et contactum alicuius corporis et scintillae iactum una requiri [198]. Quam [30] ob rem scalpelli aciem iterum nervis apposui immotamque detinui, tum quo tempore scintilla extraheretur, tum quo tempore machina perfecte quiesceret. At phaenomenon educta dumtaxat [54] scintilla prodiit.

Experimentum iteravimus, eodem semper scalpello adhibito [133]: verum non sine [184] nostra admiratione interdum, educta scintilla, recensiti motus contingebant, interdum deficiebant.

Rei novitate permoti aliis atque aliis rationibus rem tentare et experiri instituimus [198] idem tamen scalpellum adhibentes [133], ne inopinati discriminis causas, si fieri posset, assequeremur [198]; neque inanis novus hic exstitit labor; comperimus enim rem omnem variae scalpelli parti, qua illud digitis detineremus, esse tribuendam [198]; siquidem [83] cum osseum manubrium scalpellum haberet, dum idem manubrium manu comprehenderetur, educta scintilla nulli prodibant motus, prodibant vero [89 bis] digitis apposis aut laminae metallica [169] aut ferreis clavulis scalpelli laminam firmantibus.

5.1. Cicerone, *De finibus bonorum et malorum*: leggi di natura e leggi umane

Physicae (quoque) non sine causa tributus idem est honos, propterea quod, qui conuenienter naturae uicturos sit, ei proficiscendum est ab omni mundo atque ab eius procuratione. Nec uero potest quisquam de bonis et malis uere iudicare nisi omni cognita ratione naturae et uitae etiam deorum, et utrum conueniat necne natura hominis cum uniuersa. Quaeque sunt uetera praecepta sapientium, qui iubent tempori parere et sequi deum et se noscere et nihil nimis, haec sine physicis quam uim habeant - et habent maximam - uidere nemo potest. Atque etiam ad iustitiam colendam, ad tuendas amicitias et reliquas caritates quid natura ualeat haec una cognitio potest tradere. Nec uero pietas aduersus deos nec quanta iis gratia debeatur sine explicatione naturae intellegi potest. Sed iam sentio me esse longius prouectum, quam proposita ratio postulare.

5.2. Cicerone, *De natura deorum*: il calore come principio universale

Sic enim res se habet, ut omnia quae alantur et quae crescant contineant in se uim caloris, sine qua neque ali possent nec crescere. Nam omne quod est calidum et igneum cietur et agitur motu suo; quod autem alitur et crescit motu quodam utitur certo et aequabili; qui quam diu remanet in nobis tam diu sensus et uita remanet, refrigerato autem et extincto calore occidimus ipsi et extinguimur. Quod quidem Cleanthes his etiam argumentis docet, quanta uis insit caloris in omni corpore: negat enim esse ullum cibum tam grauem quin is nocte et die concoquatur; cuius etiam in reliquiis inest calor iis quas natura respuerit. Iam uero uenae et arteriae micare non desinunt quasi quodam igneo motu, animaduersumque saepe est cum cor animantis alicuius euolsum ita mobiliter palpitaret ut imitaretur igneam celeritatem. Omne igitur quod uiuit, siue animal siue terra editum, id uiuit propter inclusum in eo calorem. Ex quo intellegi debet eam caloris naturam uim habere in se uitalem per omnem mundum pertinentem. Atque id facilius cernemus toto genere hoc igneo quod tranat omnia subtilius explicato. Omnes igitur partes mundi (tangam autem maximas) calore fultae sustinentur.

5.3. Plinio il Vecchio: la corsa all'oro

Aurum inuenitur in nostro orbe, ut omittamus Indicum a formicis aut apud Scythas grypis erutum, apud nos tribus modis: fluminum ramentis, ut in Tago Hispaniae, Pado Italiae, Hebro Thraciae, Pactolo Asiae, Gange Indiae, nec ullum absolutius aurum est, ut cursu ipso attrituque perpolitum. Alio modo puteorum scrobibus effoditur aut in ruina montium quaeritur; utraque ratio dicatur. Aurum qui quaerunt, ante omnia segutilum tollunt; ita uocatur indicium. Alueus hic est harenae, quae lauatur, atque ex eo, quod resedit, coniectura capitur. Inuenitur aliquando in summa tellure protinus rara felicitate, ut nuper in Delmatia principatu Neronis singulis diebus etiam quinquagenas libras fundens. Cum ita inuentum est in summo caespite, talutium uocant, si et aurosa tellus subest. Cetero montes Hispaniarum, aridi sterilesque et in quibus nihil aliud gignatur, huic bono fertiles esse coguntur. Quod puteis foditur, canalicium uocant, alii canaliense, marmoris glareae inhaerens, non illo modo, quo in oriente sappiro atque Thebaico aliisque in gemmis scintillat, sed micas amplexum marmoris. Vagantur hi uenarum canales per latera puteorum et huc illuc, inde nomine inuento, tellusque ligneis columnis suspenditur. Quod effossum est, tunditur, lauatur, uritur, molitur. Farinam a pila scudem uocant; argentum, quod exit a fornace, sudorem. Quae e camino iactatur spurcitia in omni metallo scoria appellatur. Haec in auro tunditur iterumque coquitur. Catini fiunt ex tasconio; hoc est terra alba similis argillae, neque enim alia flatum ignemque et ardentem materiam tolerat. Tertia ratio opera

uicerit Gigantum. Cuniculis per magna spatia actis cauantur montes lucernarum ad lumina; eadem mensura uigiliarum est, multisque mensibus non cernitur dies.

5.4. Plinio il Vecchio, *Naturalis historia*: le eclissi

Quippe manifestum est solem interuentu lunae occultari lunamque terrae obiectu ac uices reddi, eosdem solis radios luna interposito suo auferente terrae terraque lunae; hac subeunte repentinas obduci tenebras rursumque illius umbra sidus hebetari; neque aliud esse noctem quam terrae umbram, figuram autem umbrae similem metae ac turbini inuerso, quando mucrone tantum ingruat neque lunae excedat altitudinem, quoniam nullum aliud sidus eodem modo obscuretur et talis figura semper mucrone deficiat. Spatio quidem consumi umbras indicio sunt uolucrum praealti uolatus. Ergo confinium illis est aeris terminus initiumque aetheris; supra lunam pura omnia ac diurnae lucis plena. A nobis autem per noctem cernuntur sidera, ut reliqua lumina e tenebris, et propter has causas nocturno tempore deficit luna.

5.5. Plinio il Vecchio, *Naturalis historia*: i terremoti

Varie itaque quatur, et mira eduntur opera, alibi prostratis moenibus, alibi hiatu profundo haustis, alibi egestis molibus, alibi emissis amnibus, nonnumquam etiam ignibus calidisue fontibus, alibi auerso fluminum cursu. Praecedit uero comitaturque terribilis sonus, alias murmuri similis, alias mugitibus aut clamori humano armorumue pulsantium fragori, pro qualitate materiae excipientis formaque uel cauernarum uel cuniculi per quem meet, exilius grassante in angusto, eodem rauco in recuruis, resultante in duris, feruente in umidis, fluctuante in stagnantibus, furente contra solida. Itaque et sine motu saepe editur sonus. Nec simplici modo quatur umquam, sed tremit uibratque. Hiatus uero alias remanet ostendens quae sorbuit, alias occultat ore conpresso rursusque ita inducto solo, ut nulla uestigia exstent, urbibus plerumque deuoratis agrorumque tractu hausto. Maritima autem maxime quatiuntur, nec montuosa tali malo carent; exploratum mihi est Alpes Appenninumque saepius tremuisse. Et autumno ac uere terrae crebrius mouentur, sicut fulmina; ideo Galliae et Aegyptus minime quatiuntur, quoniam hic aestatis causa obstat, illic hiemis. Item noctu saepius quam interdiu; maximi autem motus existunt matutini uespertinique, sed propinqua luce crebri, interdiu autem circa meridiem. Fiunt et solis lunaeque defectu, quoniam tempestates tunc sopiuntur, praecipue uero cum sequitur imbres aestus imbresue aestum. Nauigantes quoque sentiunt non dubia coniectura, sine flatu intumescente fluctu subito aut quatiante ictu; intremunt uero et in nauibus postes aequae quam in aedificiis crepituque praenuntiant.

PARS ALTERA

6.1. Nevio, tragicorum fragmenta 20-22: *ingenium* è *natura*

*Vos, qui regalis corporis custodias
Agitatis, ite actutum in frondiferos locos,
Ingenio arbusta ubi nata sunt, non obsita.*

6.2. Ennio, fr. 268-286 Sk.: *ingenium* come somma di doti del *mos maiorum*

*Haece locutus uocat quocum bene saepe libenter
Mensam sermonesque suos rerumque suarum
Consilium partit, magnam quom lassus diei
Partem fuisset de summis rebus regundis
Consilio indu foro lato sanctoque senatu;
Quoi res audacter magnas paruasque iocumque
Eloqueretur †et cuncta† malaque et bona dictu
Euomeret si qui uellet tutoque locaret;
Quocumque multa uolup
gaudia clamque palamque;
Ingenium quoi nulla malum sententia suadet
Vt faceret facinus leuis aut mala: doctus, fidelis,
Suauis homo, iucundus, suo contentus, beatus,
Scitus, secunda loquens in tempore, commodus, uerbum
Paucum, multa tenens antiqua, sepulta uetustas
Quae facit, et mores ueteresque nouosque †tenentem
Multorum ueterum leges diuomque hominumque
Prudentem qui dicta loquiue tacereue posset:
Hunc inter pugnas compellat Seruilius sic:*

6.3. Orazio, *ars* 289 ss.: Roma e i filosofi contro la poesia, perché l'*ingenium* romano è altro

*Nec uirtute foret clarisue potentius armis
Quam lingua Latium, si non offenderet unum
Quemque poetarum limae labor et mora. uos, o
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies et multa litura coercuit atque
Praeseptum deciens non castigauit ad unguem.
Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit et excludit sanos Helicone poetas
Democritus, bona pars non unguis ponere curat,
Non barbam, secreta petit loca, balnea uitat.
Nanciscetur enim pretium nomenque poetae,
Si tribus Anticyris caput insanabile numquam
Tonsori Licino commiserit...
[...]
Grais ingenium, Grais dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius auaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partis centum diducere. "dicat
Filius Albini: si de quincunce remota est*

*Vncia, quid superat? poteras dixisse." "triens." "eu,
Rem poteris seruare tuam. redit uncia, quid fit?"
"Semis." an, haec animos aerugo et cura peculi
Cum semel imbuerit, speremus carmina fingi
Posse linenda cedro et leui seruanda cupresso?*

6.4. Virgilio, Aen. VI 847-853: le vere artes dei Romani

*Excudent alii spirantia mollius aera
Credo equidem, uiuos ducent de marmore uultus,
Orabunt causas melius, caelique meatus
Describent radio et surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento
Haec tibi erunt artes, pacisque imponere morem,
Parcere subiectis et debellare superbos.*

6.5. Orazio, ars 408 ss.: ars vs ingenium

*Natura fieret laudabile carmen an arte,
Quaesitum est: ego nec studium sine diuite uena
Nec rude quid prosit uideo ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res et coniurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudauit et alsit,
Abstinit uenere et uino; qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum.
Nunc satis est dixisse "ego mira poemata pango;
Occupet extremum scabies; mihi turpe relinqui est
Et quod non didici sane nescire fateri".
Vt praeco, ad merces turbam qui cogit emendas,
Adsentatores iubet ad lucrum ire poeta
Diues agris, diues positus in fenore nummis.
Si uero est, unctum qui recte ponere possit
Et spondere leui pro paupere et eripere artis
Litibus implicitum, mirabor, si sciet inter -
Noscere mendacem uerumque beatus amicum.*

6.6. Cicerone, Tusculanae disputationes V 3,7: i filosofi non possiedono nessuna arte

Nam sapientiam quidem ipsam quis negare potest non modo re esse antiquam, verum etiam nomine? Quae diuinarum humanarumque rerum, tum initiorum causarumque cuiusque rei cognitione hoc pulcherrimum nomen apud antiquos adsequebatur. Itaque et illos septem, qui a Graecis *sofoi*/, sapientes a nostris et habebantur et nominabantur, et multis ante saeculis Lycurgum, cuius temporibus Homerus etiam fuisse ante hanc urbem conditam traditur, et iam heroicis aetatibus Ulixem et Nestorem accepimus et fuisse et habitos esse sapientis.

[8] Nec vero Atlans sustinere caelum nec Prometheus adfixus Caucaso nec stellatus Cepheus cum uxore genero filia traderetur, nisi caelestium divina cognitio nomen eorum ad errorem fabulae traduxisset. A quibus ducti deinceps omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes et habebantur et nominabantur, idque eorum nomen usque ad Pythagorae manavit aetatem. Quem, ut

scribi auditor Platonis Ponticus Heraclides, vir doctus in primis, Phliuntem ferunt venisse, eumque cum Leonte, principe Phliasiorum, docte et copiose disseruisse quaedam. **Cuius ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leon, quaesivisse ex eo, qua maxime arte confideret; at illum: artem quidem se scire nullam, sed esse philosophum.** Admiratum Leontem novitatem nominis quaesivisse, quinam essent philosophi, et quid inter eos et reliquos interesset;

[9] Pythagoram autem respondisse similem sibi videri vitam hominum et mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Graeciae celebritate; nam ut illic alii corporibus exercitatis gloriam et nobilitatem coronae peterent, alii emendi aut vendendi quaestu et lucro ducerentur, esset autem quoddam genus eorum, idque vel maxime ingenuum, qui nec plausum nec lucrum quaererent, sed visendi causa venirent studioseque perspicerent, quid ageretur et quo modo, item nos quasi in mercatus quandam celebritatem ex urbe aliqua sic in hanc vitam ex alia vita et natura profectos alios gloriae servire, alios pecuniae, raros esse quosdam, qui ceteris omnibus pro nihilo habitis rerum naturam studiose intuerentur; hos se appellare sapientiae studiosos—id est enim philosophos -; et ut illic liberalissimum esset spectare nihil sibi adquirentem, sic in vita longe omnibus studiis contemplationem rerum, cognitionemque praestare.

IV. [10] Nec vero Pythagoras nominis solum inventor, sed rerum etiam ipsarum amplificator fuit. Qui cum post hunc Phliasium sermonem in Italiam venisset, exornavit eam Graeciam, quae magna dicta est, et privatim et publice praestantissimis et **institutis et artibus**. Cuius de disciplina aliud tempus fuerit fortasse dicendi. Sed ab antiqua philosophia usque ad Socratem, qui Archelaum, Anaxagorae discipulum, audierat, numeri motusque tractabantur, et unde omnia orerentur quoque reciderent, studioseque ab is siderum magnitudines intervalla cursus anquirebantur et cuncta caelestia. Socrates autem primus philosophiam devocavit e caelo et in urbibus conlocavit et in domus etiam introduxit et coegit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere.

[11] Cuius multiplex ratio disputandi rerumque varietas et ingeni magnitudo Platonis memoria et litteris consecrata plura genera effecit dissentientium philosophorum, e quibus nos id potissimum consecuti sumus, quo Socratem usum arbitrabamur, ut nostram ipsi sententiam tegeremus, errore alios levaremus et in omni disputatione, quid esset simillimum veri, quaereremus. Quem morem cum Carneades acutissime copiosissimeque tenuisset, fecimus et alias saepe et nuper in Tusculano, ut ad eam consuetudinem disputaremus. Et quadridui quidem sermonem superioribus ad te perscriptum libris misimus, quinto autem die cum eodem in loco consedissemus, sic est propositum, de quo disputaremus.

6.7. Manil. Astr. II 448-452: invito allo studio delle costellazioni e degli oroscopi

*Hinc quoque magna tibi uenient momenta futuri,
Cum ratio tua per stellas et sidera curret
Argumenta petens omni de parte uiasque
Artis, ut ingenio diuina potentia surgat
Exaequentque fidem caelo mortalia corda.*

6.8 Quintiliano, instit. I praef.: talento naturale e studio continuo

Ideoque nos non particulam illam, sicuti plerique, sed quidquid utile ad instituendum oratorem putabamus in hos duodecim libros contulimus, breviter omnia demonstraturi: nam si quantum de

quaque re dici potest persequamur, finis operis non reperietur. Illud tamen in primis testandum est, nihil praecepta atque artes valere nisi adiuvante natura. Quapropter ei cui deerit ingenium non magis haec scripta sint quam de agrorum cultu sterilibus terris. Sunt et alia ingenita cuique adiumenta, vox, latus patiens laboris, valetudo, constantia, decor, quae si modica optigerunt, possunt ratione ampliari, sed nonnumquam ita desunt ut bona etiam ingenii studiique corrumpant: sicut haec ipsa sine doctore perito, studio pertinaci, scribendi legendi dicendi multa et continua exercitatione per se nihil prosunt.

6.9. Quintiliano, *instit.* II 19: *natura an doctrina?*

Scio quaeri etiam naturane plus ad eloquentiam conferat an doctrina. Quod ad propositum quidem operis nostri nihil pertinet (neque enim consummatus orator nisi ex utroque fieri potest), plurimum tamen referre arbitror quam esse in hoc loco quaestionem uelimus. Nam si parti utrilibet omnino alteram detrahas, natura etiam sine doctrina multum ualebit, doctrina nulla esse sine natura poterit. Sin ex pari coeant, in mediocribus quidem utrisque maius adhuc naturae credam esse momentum, consummatos autem plus doctrinae debere quam naturae putabo; sicut terrae nullam fertilitatem habenti nihil optimus agricola profuerit: e terra uberi utile aliquid etiam nullo colente nascetur: at in solo fecundo plus cultor quam ipsa per se bonitas soli efficiet. Et si Praxiteles signum aliquod ex molari lapide conatus esset exculpere, Parium marmor mallet rude: at si illud idem artifex expolisset, plus in manibus fuisset quam in marmore. Denique natura materia doctrinae est: haec fingit, illa fingitur. Nihil ars sine materia, materiae etiam sine arte pretium est; ars summa materia optima melior.

6.10. Tacito, *dialogus* 21: il giudizio dell'oratore contemporaneo

Equidem fatebor vobis simpliciter me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere. Nec unum de populo [...] quique alios in eodem valetudinario haec ossa et hanc maciem probant: ipse mihi Calvus, cum unum et viginti, utpar puto, libros reliquerit, vix in una et altera oratiuncula satis facit. Nec dissentire ceteros ab hoc meo iudicio video: quotus enim quisque Calvi in Asitium aut in Drusum legit? At hercule in omnium studiosorum manibus versantur accusationes quae in Vatinius inscribuntur, ac praecipue secunda ex his oratio; est enim verbis ornata et sententiis, auribus iudicum accommodata, ut scias ipsum quoque Calvum intellexisse quid melius esset, nec voluntatem ei, quo [minus] sublimius et cultius diceret, sed ingenium ac vires defuisse. Quid? Ex Caelianis orationibus nempe eae placent, sive universae sive partes earum, in quibus nitorem et altitudinem horum temporum adgnosimus. Sordes autem illae verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem; nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Caelium ex ea parte laudet qua antiquus est. Concedamus sane C. Caesari, ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia effecerit, quam divinum eius ingenium postulabat, tam hercule quam Brutum philosophiae suae relinquamus; nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores eius fatentur: nisi forte quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit, nisi qui et carmina eorundem miratur. fecerunt enim et carmina et in bibliothecas rettulerunt, non melius quam Cicero, sed felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt. Asinius quoque, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe et Accium non solum tragoediis sed etiam orationibus suis expressit; adeo durus et siccus est. Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venae nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra et exsurgit toris ipsosque nervos rubor tegit et decor commendat. Nolo Corvinum insequi, quia nec per ipsum stetit quo minus laetitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret, videmus enim quam iudicio eius vis aut animi aut ingenii suffecerit.

6.11. Tacito, Annales III 30: le *artes* per vivere a corte

Fine anni concessere vita insignes viri L. Volusius et Sallustius Crispus. Volusio vetus familia neque tamen praeturam egressa: ipse consulatum intulit, censoria etiam potestate legendis equitum decuriis functus, opumque quis domus illa immensum vixit primus adcumulator. Crispum equestri ortum loco C. Sallustius, rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adscivit. atque ille, quamquam prompto ad capessendos honores aditu, Maecenatem aemulatus sine dignitate senatoria multos triumphalium consulariumque potentia antiebat, diversus a veterum instituto per cultum et munditias copiaque et affluentia luxu propior. suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par, eo acrior quo somnum et inertiam magis ostentabat. igitur incolumi Maecenate proximus, mox praecipuus, cui secreta imperatorum inniterentur, et interficiendi Postumi Agrippae conscius, aetate propecta speciem magis in amicitia principis quam vim tenuit. idque et Maecenati acciderat, fato potentiae raro sempiternae, an satias capit aut illos cum omnia tribuerunt aut hos cum iam nihil reliquum est quod cupiant.

6.12. Plinio il Giovane IX 26,1-7: non bisogna tenere a freno l'*ingenium*

C. PLINIUS LUPERCO SUO S.

1 Dixi de quodam oratore saeculi nostri recto quidem et sano, sed parum grandi et ornato, ut opinor, apte: 'Nihil peccat, nisi quod nihil peccat.' 2 Debet enim orator erigi attolli, interdum etiam effervescere efferri, ac saepe accedere ad praeceps; nam plerumque altis et excelsis adiacent abrupta. Tutius per plana sed humiliter et depressius iter; frequentior currentibus quam reptantibus lapsus, sed his non labentibus nulla, illis non nulla laus etiamsi labantur. 3 Nam ut quasdam artes ita eloquentiam nihil magis quam ancipitia commendant. Vides qui per funem in summa nituntur, quantos soleant excitare clamores, cum iam iamque casuri videntur. 4 Sunt enim maxime mirabilia quae maxime insperata, maxime opericulosa utque Graeci magis expriment, παράβολα. Ideo nequaquam par gubernatoris est virtus, cum placido et cum turbato mari vehitur: tunc admirante nullo, illaudatus inglorius subit portum, at cum stridunt funes curvatur arbor gubernacula gemunt, tunc ille clarus et dis maris proximus. 5 Cur haec? Quia visus es mihi in scriptis meis adnotasse quaedam ut tumida quae ego sublimia, ut improba quae ego audientia, ut nimia quae ego plena arbitrabar. Plurimum autem refert, reprehendenda adnotes an insignia. 6 Omnis enim advertit, quod eminet et exstat; sed acri intentione diiudicandum est, immodicum sit an grande, altum an enorme. Atque ut Homerum potissimum attingam, quem tandem alterutram in partem potest fugere ἀμφὶ δὲ σάλπιγξεν μέγας οὐρανός . . ἥ ἐρι δ' ἔγχος ἐκεκλιτο et totum illud οὔτε θαλάσσης κῆμα τόσον βοάα? 7 Sed opus est examine et libra, incredibile sint haec et inania an magnifica caelestia. Nec nunc ego me his similia aut dixisse aut posse dicere puto — non ita insanio -, sed hoc intellegi volo, laxandos esse eloquentiae frenos, nec angustissimo gyro ingeniorum impetus refringendos.

6.13. Censorino, *de die natali*: superare con *vita* e *mores* ciò che si insegna tramite *ars*

in quo non, ut plerisque mos est, aut ex ethica parte philosophiae praecepta ad beate vivendum, quae tibi scriberem, mutuatus sum, aut ex artibus rhetorum locos laudibus tuis celebrandis persecutus — ad id enim virtutum omnium fastigium ascendisti, ut cuncta ista, quae vel sapienter monentur vel facunde praedicantur, vita moribusque superaveris — sed ex philologis commentariis quasdam quaestiunculas delegi, quae congestae possint aliquantum volumen efficere.

6.14. Fedro I 13: un esempio di ingegno

Vulpis et coruus

*Qui se laudari gaudet uerbis subdolis
Fere dat poenas turpi paenitentia.
Cum de fenestra coruus raptum caseum
Comesse uellet celsa residens arbore,
Vulpes inuidit, deinde sic coepit loqui:
"O qui tuarum, corue, pennarum est nitor!
Quantum decoris corpore et uultu geris!
Si uocem haberes, nulla prior ales foret."
At ille stultus, dum uult uocem ostendere
Lato ore emisit caseum; quem celeriter
Dolosa uulpes auidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit corui deceptus stupor.
Hac re probatur quantum ingenium ualet;
Virtute semper praeualet sapientia.*

6.15. Apuleio, *Florida XVIII* (sel.): un secondo esempio di ingegno

Protagoran aiunt cum suo sibi discipulo Evathlo mercedem nimis uberem condicione temeraria pepigisse, uti sibi tum demum id argenti daret, si primo tirocinio agendi penes iudices vicisset. Igitur Evathlus postquam cuncta illa exorabula iudicantium et decipula adversantium et artificia dicentium versutus alioqui et ingeniatus ad astutiam facile perdidicit, contentus scire quod concupierat, coepit nolle quod pepigerat, sed callide nectendis moris frustrari magistrum diutuleque nec agere velle nec reddere, usque dum Protagoras eum ad iudices provocavit, expositaque condicione, qua docendum receperat, anceps argumentum ambifariam proposuit. "Nam sive ego vicerò", inquit, "solvere mercedem debebis ut condemnatus, seu tu viceris, nihilo minus reddere debebis ut pactus, quippe qui hanc causam primam penes iudices viceris. Ita, si vincis, in condicionem incidisti; si vinceris, in damnationem." Quid quaeris? ratio conclusa iudicibus acriter et invincibiliter videbatur. Enimvero Evathlus, utpote tanti veteratoris perfectissimus discipulus, biceps illud argumentum retorsit. Nam "si ita est", inquit, "neutro modo quod petis debeo. Aut enim vinco et iudicio dimittor, aut vincor et pacto absolvor, ex quo non debeo mercedem, si hanc primam causam fuero penes iudices victus. Ita me omni modo liberat, si vincor, condicio, si vinco, sententia." Nonne vobis videntur haec sophistarum argumenta obversa invicem vice spinarum, quas ventus convolverit, inter se cohaerere, paribus utrimque aculeis, simili penetratione, mutuo vulnere?

6.16. Solino, *Collectanea rerum memorabilium*: in un'opera compilativa vi è *ingenium*?

liber est ad compendium praeparatus, quantumque ratio passa est ita moderate repressus, ut nec prodiga sit in eo copia nec damnosa concinnitas. Cui si animum propius intenderis, velut fermentum cognitionis magis ei inesse quam bratteas eloquentiae deprehendes. Exquisitis enim aliquot voluminibus studuisse me inpendio fateor, ut et a notioribus referrem pedem et remotis largius inmorarer. [...] Quid enim proprium nostrum esse possit, cum nihil omiserit antiquitatis diligentia, quod intactum ad hoc usque aevi permaneret? Quapropter quaeso, ne de praesenti tempore editionis huius fidem libres, quoniam quidem vestigia monetae veteris persecuti opiniones universas eligere maluimus potius quam innovare.

6.17. Lettera di Teodosio ad Ausonio: ammirazione per l'*ingenium* dello scrittore

Amor meus qui in te est et admiratio ingenii atque eruditionis tuae, quae multo maxima sunt, fecit, parens iucundissime, ut morem principibus aliis solitum sequestrarem familiaremque sermonem autographum ad te transmitterem, postulans pro iure non equidem regio, sed illius privatae inter nos caritatis, ne raudati me scriptorum tuorum lectione patiaris. quae olim mihi cognita et iam per tempus oblita rursum desidero, non solum ut quae sunt nota recolantur, sed etiam ut ea quae fama celebri adiecta memorantur accipiam. quae tu de promptuario scriniorum tuorum, qui me amas, libens imperties, secutus exempla auctorum optimorum, quibus par esse meruisti, qui Octaviano Augusto rerum potenti certatim opera sua tradebant, nullo fine in eius honorem multa condentes. qui illos haud sciam an aequaliter atque ego te admiratus sit, certe non amplius diligebat. vale parens.

6.18. Girolamo, *epist.* 58: giudizio di Girolamo sulle abilità di Paolino

8 librum tuum, quem pro Theodosio principe prudenter ornateque compositum transmisisti, libenter legi. [...] ipsum genus eloquii pressum est et nitidum, et cum Tulliana luceat puritate crebrum est in sententiis.

11 Iacet enim, ut ait quidam, oratio, in qua tantum verba laudantur magnum habes ingenium, infinitam sermonis suppellectilem: et facile loqueris et pure, facilitasque ipsa et puritas mixta prudentiae est [...]

7.1. Propertio II 24c: l'*ingenium* sta fra le armi del poeta

*Hoc erat in primis quod me gaudere iubebas?
Tam te formosam non pudet esse leuem?
Vna aut altera nox nondum est in amore peracta,
Et dicor lecto iam grauis esse tuo.
Me modo laudabas et carmina nostra legebas:
Ille tuus pennas tam cito uertit amor?
Dura est quae multis simulatum fingit amorem
Et se plus uni si qua parare potest.
Contendat mecum ingenio, contendat et arte,
In primis una discat amare domo!
Si libitum tibi erit, Lernaean pugnet ad hydras
Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat,
Taetra uenena libens et naufragus ebibat undas
Et numquam pro te deneget esse miser:
(Quos utinam in nobis, uita, experiare labores!)
Iam tibi de timidis iste proteruus erit,
Qui nunc se in tumidum iactando uenit honorem:
Discidium uobis proximus annus erit!
At me non aetas mutabit tota Sibyllae,
Non labor Alcidae, non niger ille dies.
Tu me compones et dices "Ossa, Properti,
Haec tua sunt. Eheu tu mihi certus eras,
Certus eras eheu, quamuis nec sanguine auito
Nobilis et quamuis non ita diues eras."
Nil ego non patiar; numquam me iniuria mutat:
Ferre ego formosam nullum onus esse puto.
Credo ego non paucos ista periisse figura,
Credo ego sed multos non habuisse fidem.
Paruo dilexit spatio Minoida Theseus,
Phyllida Demophoon, hospes uterque malus.
Iam tibi Iasonia nota est Medea carina
Et modo seruato sola relictæ uiro.
Noli nobilibus, noli te ecferre beatis:
Vix uenit, extremo qui legat ossa die.
Hi tibi nos erimus: sed tu potius precor ut me
Demissis plangas pectora nuda comis.*

7.2. Ouidio, *Amores* I 15: rimettere Callimaco al suo posto

*Quid mihi, Liur edax, ignauos obicis annos
Ingeniique uocas carmen inertis opus,
Non me more patrum, dum strenua sustinet aetas,
Praemia militiae puluerulenta sequi
Nec me uerbosas leges ediscere nec me
Ingrato uocem prostituisse foro?
Mortale est, quod quaeris, opus; mihi fama perennis
Quaeritur, in toto semper ut orbe canar.
Viuet Maeonides, Tenedos dum stabit et Ide,
Dum rapidas Simois in mare uoluet aquas;*

*Viuet et Ascraeus, dum mustis uua tumebit,
 Dum cadet incurua falce resecta Ceres;
 Battiades semper toto cantabitur orbe:
 Quamuis ingenio non ualet, arte ualet;
 Nulla Sophocleo ueniet iactura cothurno;
 Cum sole et luna semper Aratus erit;
 Dum fallax seruus, durus pater, improba lena
 Viuent et meretrix blanda, Menandros erit;
 Ennius arte carens animosique Accius oris
 Casurum nullo tempore nomen habent;
 Varronem primamque ratem quae nesciet aetas
 Aureaque Aesonio terga petita duci?
 Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
 Exitio terras cum dabit una dies;
 Tityrus et fruges Aeneiaque arma legentur,
 Roma triumphati dum caput orbis erit;
 Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
 Discentur numeri, culte Tibulle, tui;
 Gallus et Hesperii et Gallus notus Eois,
 Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.
 Ergo cum silices, cum dens patientis aratri
 Depereant aeuo, carmina morte carent:
 Cedant carminibus reges regumque triumpho,
 Cedat et auriferi ripa benigna Tagi.
 Vilia miretur uulgus; mihi flauus Apollo
 Pocula Castalia plena ministret aqua,
 Sustineamque coma metuentem frigora myrtum
 Atque a sollicito multus amante legar.
 Pascitur in uiuis Liur; post fata quiescit,
 Cum suus ex merito quemque tuetur honos:
 Ergo etiam cum me supremus adederit ignis,
 Viuam, parsque mei multa superstes erit.*

7.3. Ovidio, *ars* III: la poesia come mezzo di seduzione

*Munera det diues; ius qui profitebitur, adsit;
 Facundus causam nempe clientis agat.
 Carmina qui facimus, mittamus carmina tantum:
 Hic chorus ante alios aptus amare sumus.
 Nos facimus placitae late praeconia formae:
 Nomen habet Nemesis, Cynthia nomen habet,
 Vesper et Eoae nouere Lycorida terrae,
 Et multi, quae sit nostra Corinna, rogant.
 Adde, quod insidiae sacris a natibus absunt
 Et facit ad mores ars quoque nostra suos:
 Nec nos ambitio nec amor nos tangit habendi;
 Contempto colitur lectus et umbra foro;
 Sed facile haeremus ualidoque perurimur aestu
 Et nimium certa scimus amare fide.
 Scilicet ingenium placida mollitur ab arte
 Et studio mores conuenienter eunt.*

*Vatibus Aoniis faciles estote, puellae:
 Numen inest illis Pieridesque fauent.
 Est deus in nobis et sunt commercia caeli;
 Sedibus aetheriis spiritus ille uenit.
 A doctis pretium scelus est sperare poetis;
 Me miserum, scelus hoc nulla puella timet.
 Dissimulate tamen, nec prima fronte rapaces
 Este: nouus uiso casse resistet amans.
 Sed neque uector equum, qui nuper sensit habenas,
 Comparibus frenis artificemque reget,
 Nec, stabilis animos annis uiridemque iuuentam
 Vt capias, idem limes agendus erit:
 Hic rudis et castris nunc primum notus Amoris,
 Qui tetigit thalamos praeda nouella tuos,
 Te solam norit, tibi semper inhaereat uni;
 Cingenda est altis saepibus ista seges.*

7.4. Ovidio, *Tristia* II 419ss.: un altro canone

*Suntque ea doctorum monumentis mixta uirorum,
 Muneribusque ducum publica facta patent.
 Neue peregrinis tantum defendar ab armis,
 Et Romanus habet multa iocosa liber.
 Vtque suo Martem cecinit grauis Ennius ore,
 Ennius ingenio maximus, arte rudis:
 Explicat ut causas rapidi Lucretius ignis,
 Casurumque triplex uaticinatur opus:
 Sic sua lasciuo cantata est saepe Catullo
 Femina, cui falsum Lesbia nomen erat;
 Nec contentus ea, multos uulgauit amores,
 In quibus ipse suum fassus adulterium est.
 Par fuit exigui similisque licentia Calui,
 Detexit uariis qui sua furta modis.
 Cinna quoque his comes est, Cinnaque procacior Anser,
 Et leue Cornufici parque Catonis opus.
 Quid referam Ticideae, quid Memmi carmen, apud quos
 Rebus adest nomen nominibusque pudor,
 Et quorum libris modo dissimulata Perilla est,
 Nomine nunc legitur dicta, Metelle, tuo?
 Is quoque, Phasiacas Argon qui duxit in undas,
 Non potuit Veneris furta tacere suae.
 Nec minus Hortensi, nec sunt minus improba Serui
 Carmina. quis dubitet nomina tanta sequi?*

7.5. Ovidio, *Tristia* V 1: addio alle armi

*Si tamen ex uobis aliquis tam multa requiret,
 Vnde dolenda canam, multa dolenda tuli.
 Non haec ingenio, non haec componimus arte:
 Materia est propriis ingeniosa malis.
 Et quota fortunae pars est in carmine nostrae?*

*Felix, qui patitur quae numerare potest!
Quot frutices siluae, quot flauas Thybris harenas,
Mollia quot Martis gramina campus habet,
Tot mala pertulimus, quorum medicina quiesque
Nulla nisi in studio est Pieridumque mora.*

7.6. Ovidio, *Ex Ponto* III 5: l'ingenium e la rovina

*Quam legis, unde tibi mittatur epistula, quaeris?
Hinc, ubi caeruleis iungitur Hister aquis.
Vt regio dicta est succurrere debet et auctor,
Laesus ab ingenio Naso poeta suo.
Qui tibi quam mallet praesens afferre salutem,
Mittit ab hirsutis, Maxime Cotta, Getis.
Legimus, o iuuenis patrii non degener oris,
Dicta tibi pleno uerba diserta foro.
Quae quamquam lingua mihi sunt properante per horas
Lecta satis multas, pauca fuisse queror.
Plura sed haec feci relegendo saepe, nec umquam
Non mihi, quam primo, grata fuere magis.
Cumque nihil totiens lecta e dulcedine perdant,
Viribus illa suis, non nouitate, placent.
Felices quibus haec ipso cognoscere in actu
Et tam facundo contigit ore frui!
Nam, quamquam sapor est allata dulcis in unda,
Gratius ex ipso fonte bibuntur aquae.
Et magis adducto pomum decerpere ramo
Quam de caelata sumere lance iuuat.
At nisi peccassem, nisi me mea Musa fugasset
Quod legi, tua uox exhibuisset opus,
Vtque fui solitus, sedissem forsitan unus
De centum iudex in tua uerba uiris,
Maior et implesset praecordia nostra uoluptas,
Cum traherer dictis adnueremque tuis.
Quem quoniam fatum patria uobisque relictis
Inter inhumanos maluit esse Getas,
Quod licet, ut uidear tecum magis esse loquendo,
Saepe, precor, studii pignora mitte tui,
Exemploque meo, nisi dedignaris id ipsum,
Vtere, quod nobis rectius ipse dares.
Namque ego, qui perii iam pridem, Maxime, uobis,
Ingenio nitor non periisse meo.
Redde uicem, nec rara tui monimenta laboris
Accipiant nostrae, grata futura, manus.
Dic tamen, o iuuenis studiorum plene meorum,
Ecquid ab his ipsis admoneare mei.
Ecquid, ubi aut recitas factum modo carmen amicis,
Aut, quod saepe soles, exigis ut recitent,
Quaeror, ut interdum tua mens, oblita quid absit,
Nescio quid certe sentit abesse sui,
Vtque loqui multum de me praesente solebas,*

*Nunc quoque Nasonis nomen in ore tuo est?
Ipse quidem Getico peream uiolatus ab arcu
(Et sit periuri quam prope poena, uides)
Te nisi momentis uideo paene omnibus absens.
Gratia quod menti quolibet ire licet.
Hac ubi perueni nulli cernendus in urbem,
Saepe loquor tecum, saepe loquente fruor.
Tum mihi difficile est, quam sit bene, dicere, quamque
Candida iudiciis illa sit hora meis.
Tum me, si qua fides, caelesti sede receptum
Cum fortunatis suspicor esse deis.
Rursus ubi huc redii, caelum superosque relinquo,
A Styge nec longe Pontica distat humus.
Vnde ego si fato nitor prohibente reuerti,
Spem sine profectu, Maxime, tolle mihi.*

8.1 Giovenco, *Evangeliorum libri quattuor* 1,1-27: lo Spirito ispira e supera le artes

*Inmortale nihil mundi conpage tenetur,
Non orbis, non regna hominum, non aurea Roma,
Non mare, non tellus, non ignea sidera caeli.
Nam statuit genitor rerum inreuocabile tempus,
Quo cunctum torrens rapiat flamma ultima mundum. 5
Sed tamen innumeros homines sublimia facta
Et uirtutis honos in tempora longa frequentant,
Adcumulant quorum famam laudesque poetae.
Hos celsi cantus, Smyrnae de fonte fluentes,
Illos Minciadae celebrat dulcedo Maronis. 10
Nec minor ipsorum discurrit gloria uatum,
Quae manet aeternae similis, dum saecula uolabunt
Et uertigo poli terras atque aequora circum
Aethera sidereum iusso moderamine uoluet.
Quod si tam longam meruerunt carmina famam, 15
Quae ueterum gestis hominum mendacia nectunt,
Nobis certa fides aeternae in saecula laudis
Inmortale decus tribuet meritumque rependet.
Nam mihi carmen erit Christi uitalia gesta,
Diuinum populis falsi sine crimine donum. 20
Nec metus, ut mundi raptant incendia secum
Hoc opus; hoc etenim forsitan me subtrahet igni
Tunc, cum flammiuma descendet nube coruscans
Iudex, altithroni genitoris gloria, Christus.
Ergo age! Sanctificus adsit mihi carminis auctor 25
Spiritus, et puro mentem riget amne canentis
Dulcis Iordanis, ut Christo digna loquamur.*

8.2. Claudiano, *carm. min. 3: ingenium e ispirazione 1*

*Quidquid Castalio de gurgite Phoebus anhelat,
Quidquid fatidico mugit cortina recessu,
Carmina sunt, et uerba negant communia Musae.
Carmina sola loquor: sic me meus implet Apollo.*

8.3. Paolino di Nola, *carm. 6: ingenium e ispirazione 2*

*nos tantum modulis evolvere dicta canoris
vovimus et versu mentes laxare legentum.
Sic (nam magna licet parvis, antiqua novellis.
perfecta indoctis conferre, aeterna caducis)
inspirante deo quicquid dixere priores
aptavit citharis nomen venerabile David,
consona caelesti pangens modulamina plectro.
Nos quoque fas meminisse dei et quamquam obruta multis
pectora criminibus caelestem admittere sensum.*